



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 6. De vocum Synonymia & Homonymia, ad tex. com. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

item rei, quæ voce indicatur, significaret. Sic in 7. libro Metaph. tex. 15. inter omonymum & synonymum ponit medium id, quod ad vnum dicitur. Et tex. 2. lib. 4. ens neque synonymum dicitur, neque omonymum, sed ad vnum & cap. 3. lib. 11. si ens esset omonymum & commune nihil significaret, nulla de eo esset scientia, & cap. 6. lib. 1. de Moribus ad Nicomachum, bonum non esse omonymum à fortuna, sed aut ab vno & ad vnum, aut potius analogum. Et in tex. item 25. lib. 2. de posteriore analogi omonyma ab analogis distinxit. Interdum vero ampliori significatione omonymum synonymo ita opposuit, vt analogæ quoque & quæ ad vnum dicuntur comprehenderet. Ita ens omonymum dicitur affirmatiue in 1. lib. Elenchorum. c. 6. & lib. 5. Metaph. tex. 17. & alijs in locis, & in tex. 31. lib. 7. Physic. varios omonymia modos ita commemorat, vt alij sint valde remoti, nec aliud, quam vocis communionem habeant, vt exponunt Themistius, & Theodorus Metochita, atque ex implicito significat omonyma à fortuna. Alij similitudine aliquam habeant, quæ omonyma sunt à similitudine; alij demum propinqui sunt, aut genere, & hæc sunt ab vno & ad vnum; aut analogæ, & hæc sunt analogæ. Quare in libro Categoriarum omonyma sola & synonyma definiuit; omonymorum nomine analogæ quoque comprehendens & quæ ad vnum reuocantur; vt ex Græcis omnibus illius loci Interpretibus cognoscitur. Et ex Philopono Comment. 104. ad tex. 44. lib. prioris de Ortu & Interitu. Et exemplum, quod eo loco adfert Philosophus, ab Ammonio creditur esse eorum, quæ sunt ab vno. Itaque si priori modo sumatur omonymum, inter omonymum & synonymum est medium analogum & quod ad vnum: Sin posteriori modo, nihil est medium. Quælibet enim vox aut vnum pluribus commune significat, & est synonyma; aut immediatè plura, & est omonyma. Hæc autem plura, aut proportionem aliquam, seu ad vnum habitudine conueniunt, & analogæ vel ad vnum dicuntur: aut nulla profertur præter vocem; & sunt merè omonyma. Si igitur animam ab animalibus separet eorum partes & corpora merè omonymum, hoc est solo nomine organa appellabis. Nullam vero edere poterunt actionem, & vsu esse ad operandum: quod vera & animata, aut quæ mox animata erunt, organa habent.

Digressio VI. De vocum synonymia & omonymia.

Hæc ad huius loci interpretationem satis esse quispiam indicabit. Ego nõ abs re facturum me existimo, si de synonymia, & omonymia addidero aliquid, quod & hunc locum magnopere illustret, & vero alijs pluribus exponendis necessarium sit.

Ergo quæ de pluribus dicuntur, aut voce & natura significata æquè omnibus communi dicuntur; aut voce & ratione quæpiam, qua alio atque alio modo illa participant; aut voce & alijs atque alijs rationibus ad vnum aliquid terminatis; aut demum sola voce. Ita quædam vocantur Synonyma, alia analogæ, quædam ad vnum, alia denique merè omonyma. Cur Philosophus in Categoriarum libro prius diceret de omonymis, suas habuit rationes illius loci proprias, quas nunc non est necesse commemorare. Quoniam tamen eius-

dem fuit sententia in tex. 85. lib. 1. de anima rectè nos & ipsum & obliquè cognoscere; quod illud & sui & obliqui regula sit; obliquum nec sui nec recti: placet à synonymis, quæ omonymorum comparatione sunt veluti rectum, principium facere.

Synonyma vocamus, quæ vocis & naturæ communionem habent. Quæ inquam non solum eadem voce appellantur, sed eandem etiam habent essentia definitionem. Quæ non ad rem modò voce significandam refertur (hoc enim denominatiua quoque habent), verum absolute & ad ea, de quibus vox illa dicitur. Vt omnia & communem habeant vocem, & secundum illam, eandem definitionem substantiam eorum significantem: Hoc denominatiuis non conuenit. Quippe alibi definitio substantiam & essentiam alborum corporum non attingit. At cum hominem aut equum animal appellamus, tum animalis vox tum definitio æquè vtrique communis est & essentialis. Significat igitur Synonyma vox naturam vnam à pluribus illis mente saltem distinctam, & omnibus æquè communem ac essentialem. Hoc genera maximè & species habent; magisque species infimæ, quæ sunt naturæ omni ex parte perfectæ eodem modo in rebus singulis existentes. Genera, vt sunt minùs perfectæ, differentias plures & species potestate continent. Et in tex. 31. lib. 7. phys. multa in illis velut omonymiam quædam latere legimus. Quod alijs atque alijs differentijs, perfectioribus aut imperfectioribus, ad plures contrahi species possunt, quarum alie sunt alijs meliores.

Quare Auerroës Comment. 2. lib. 12. Metaph. cum generis unitate dixit prioritatem & posterioritatem specierum posse consistere. Hæc enim non in generis communi natura, sed differentiarum & specierum propria vi consideratur. Nam omnis diuisio, vel etiam generis in species, vt est in cap. 2. lib. 6. Topicorum, & tex. 14. 15. & 24. lib. 10. Metaph. duobus membris constat, quorum vno alterum perfectius est, & veluti habitus comparatione priuationis.

Hinc intelliges, quid sibi velit Philosophus cum cap. de simul species dixit, quæ genus aliquod diuidunt, simul esse in illius participatione debere. Non enim negat posse vnam alteri prestare, sed vnam propter alteram generis esse participem; quemadmodum accidens ens est propter substantiam. Quod non in genere exemplaris aut finis accipias, sed formalis causæ, vt vna non sit formaliter talis propter aliam: Quod habeat vnaqueque propriam, qua constituatur, differentiam. Quid item in tex. 11. lib. 3. Metaph. cum in quibus, inquit, est prius & posterius, non potest quod de his dicitur; aliquid præter hæc significare. Quare in numerorum & figurarum speciebus reperiri posse negat vnum superius genus. Quoniam in illis vna species est prior altera. Etenim nisi disputando loquatur vt in toto illo libro, & ex particula conditionali colligitur: intelligendus est de tota naturæ specierum & generis in illis iam per differentias perfecti. Quo modo & in animalium speciebus in æqualitatem reperias. Quid demum in 7. phys. loco notato. Non enim genus dixit esse omonymum; sed in eo multa latere. Quod Simplicius & alij interpretantur, genus, seu ea quæ genere conueniunt & specie differunt, non esse vnam naturam,

De Synonymis.

Specierum diuersa perfectia synonymiam non tollit generum.

vt est species infima. Quare nec faciendam inter ea comparationem, quæ ita inter se differunt. Quia non habent vnam naturam totam, sed partim vnam; partim diuersam. Vnam ratione generis, diuersam ratione differentiarum. Et ita latent multa, quæ comparari posse videntur, & non possunt. Inde ostendit quomodo in omonymis erremus. Quoniam aliquam habent similitudinem, propter quam videntur comparari posse. Propterea vero in genere latent multa; Quia etiam naturam vnam significat; plures tamen potest differentias, quas potestate solum continet. Atque in eo videtur esse omonymia, propter species diuersas & inæqualis perfectionis & definitionis: Species verò essentiali nullam inæqualitatem patiuntur, quod essentialiter perfici magis nequeant: neque per differentias vt genus, sed seipis descendant ad singula, quorum totam essentialiam absoluunt. Aliquam solum accidentariam operationum & accidentium admittunt, quæ non inter species modo, sed etiam inter eiusdem speciei indiuidua animaduertitur.

o Analogi.

Analogia quid.

Synonymis affinia sunt analogia. Nam etiam hæc non significant vnam naturam eodem modo multis communem, similem tamen aliquam & proportionem eandem in omnibus rationem habent. Analogia enim nil aliud est, quam proportio, plurimue proportionum similitudo. *ἀναλογία* græcè, latine est ratio, habitudo, comparatio, & proportio. Quæ cum inter plures quantitates maxime cernatur, mathematicis est familiarissima & inter quatuor terminos consistit. Vt videre est in numeris; in quibus vt binarius se habet ad quaternarium, ita ternarius ad senarium. Quorum proportio & ratio communis est dupla. Iam tamen multo latius patet huius nominis vsus, quam primi eius auctores voluerint. Nam à quantitatibus ad quarumcumque rerum similitudinem traductum fuit. Ac primum in Grammaticis analogia quædam cernitur; & Diomedes antiquus Grammaticus restatur bonam eius partem analogia niti; quam dixit Varro declinationem esse similis nominis secundum similem rationem; vt à bonus bonitas, à pius pietas. In Poëticis quoque quædam est figurata orationis forma, quæ analogia dicitur; qua scribunt Poëta, quod est vesper dici, hoc esse senectutem vitæ; & permutando dicunt vesperum vitæ, & senectutem dici. Quin & Rhetores locum habent à proportionem, quem Ar. in 2. Rhet. lib. cap. 24. illustrat Ipsicratis dicto ad Censores, qui puerum adhuc filium, quod procerioris esset stature, Ciceratis onera ferre cogent: si, inquit, longi ex pueris viri putantur, breues ex viris pueri iudicabuntur. Porro in Logicis extat in 2. lib. de posteriori Analyti tex. 23. & 25. subiecti analogi proprietates causas, & medium debere esse analogia. In moralibus in 1. ad Nicomachum lib. cap. 6. analogia memorantur. Et licet ad aliam scientiam rejiciatur analogia consideratio; bonum tamen dicitur esse analogum; & illud adfertur, quod est aspectus corporis, hoc est mens animo. Quod etiam habetur in Logicis 1. lib. Top. cap. 14. Denique in Physicis & Metaph. plurima est analogie mentio.

Analogia que dicitur.

Vbiq; autem analogia ea vocantur, quæ proportionem quadam sunt inter se affecta: vt quemadmodum se habet vnum ad alterum, ita se

habeat alterum ad alterum. Hoc intellectu vsu fuisse hac voce Philosophum, fatebitur is, qui fuit in eius scriptis mediocriter exercitatus; Nam in 1. lib. de post. analyti tex. 24. Demonstrationum principia alia scribit esse propria, alia secundum analogiam communia. Et in tex. 23. posterioris lib. docet proposito analogo inuenire medium; vt quod est in alijs animalibus os, hoc fit in piscibus spina. Et tex. 25. Quæ sunt eadem fecidionem analogiam; habent etiam vnum medium analogum; quo demonstrantur. Et in tex. 6. huius 21. lib. de anima, Radices plantarum sunt analogæ animalium ori. In tex. 12. lib. 5. Metaph. ea sunt vnum analogia, quæ ita se habent, vt videntur esse ad aliud; hoc est proportionem quadam & similitudinem inter se affecta; Vt Alexander, Auerroës, & alij interpretantur. In tex. 22. 23. & 26. lib. 12. omnium rerum eadem sunt principia analogicè; quia sunt in alijs alia. In 3. lib. de animalium ortu cap. 11. animalia, quæ duram habent testam in mari, naturam habent analogam stirpibus in terra. In 4. lib. politicorum, cap. 4. populus absque lege gubernans est Tyranno analogus. Et 1. lib. ad Nicomachum cap. 6. Bonum aut est ab vno & ad vnum, aut potius analogum: Quo loco cum apertis verbis distinguat analogia ab ijs, quæ sunt ab vno & ad vnum, manifestum est, Latinos eos errare, qui ea quoque quæ sunt ab vno & ad vnum, vocant analogia; duplicemque analogiam distinguunt; proportionis vnam, alteram attributionis. Cum & analogia non nisi proportionem significet: & quæ per attributionem dicuntur, non analogia, sed ad vnum ab Aristotele, & à Græcis vocentur.

Cum igitur analogia & vocem habeant communem & rationem vere significatam, absolute quidem diuersam, ad proportionem quadam eandem inter quatuor omnino versantur terminos; Quorum duo sunt illa, quæ analogicè conueniunt; & eandem ex duabus sumuntur rationibus, quæ proportionem similes sunt. Vt quemadmodum eorum vnum se habet ad vnum rationis terminum; sic ad alterius terminum se habet alterum. Ita principium cordi & fontis analogum est. Quoniam etiam alio atque alio modo principium sunt; illud spiritus & vitæ; hic aquæ & fluuij. Hoc tamen conueniunt, vt sicut illud spiritus & vitæ principium existit; ita hic aquæ sit & fluuij. Quod igitur analogia voce significatur, omnibus illis formaliter conuenit, de quibus ea vox dicitur: voxque absolute pronuntiat omnibus competit.

Immo quia id, quod ea voce indicatur; non est omnino idem in omnibus, vt in synonymis; abstrahi ab illis non potest aliquid ab eis distinctum; sed omnia simul concipiunt vt simili ratio se conueniunt. Neque in mente vnum habent conceptum nisi confusum; præter quem alijs opus est conceptibus, vt proprie singulorum rationes intelligantur. Nam etiam principium suas esse id, ex quo aliud oritur; nondum tamen propriam cordis aut fontis rationem habes. Conceptus synonymi distinctus est, & sufficiens ad indicandam participationem quoque illius in inferioribus. Et si animal scias sentientem substantiam esse; scis etiam, quid animal sit, quod est in homine & equo; quia nil aliud est, quam substantia sentiens. Neque analogia vox naturam vnam perfectam significat, vt colligitur ex tex. 70. lib. 3. phi.

Phyl. sed diminutam quandam rationem; eo tantum modo priorem, quo communior est, nec ab ea valet subsistendi consequutio. Itaque dum analogum nominatur, communis ratio confusa nominatur, que inmediate significat multa ratione simili conuenientia, eaque proprijs singulorum nominibus distincte explicabitur. At quoniam omnia similia sunt, conceptus distinctus vnus aliquid quoquomodo repræsentat, atque ad illius cognitionem ducit. Deest interdum communis vox. Spina in pilcibus atque in animalibus cæteris os analogo sunt. At communem illis rationem quomodo nominabis? Aut fingendum est nomen, aut pluribus vtendum, vt id describas, quod vno nominare non valet.

Primum quod Iam si ea, que analogo voce appellantur, inter se comparentur; primum ac præcipuum illud iudicari debet; non quod est natura præstantius; sed cui magis proprie analogo ratio conuenit. Sola pure omonyma verè affirmantur in tex. 24. lib. 7. Phyl. comparari non posse, quia nulla re conueniunt, in qua comparentur; vt scylus, vinum, & vltima in acuto ad vltima & illi proxima optimè comparantur. Quare quod est in primo lib. Top. cap. 13. Synonymum esse comparabile, non ita accipias, vt synonymorum dicitur sit comparatio; sed ita vt synonyma omnia comparari queant.

De analogo esse scientiam Non desuerunt etiam, qui de analogis negarent esse scientiam. Fuit sententia Scoti in 1. sentent. lib. Verùm audiendus non est. Quoniam Aristoteles in 1. lib. de posteriori analyti. tex. 24. Et lib. 2. tex. 23. & 25. ad demonstrationem admittit, exemplo vsus ossis & spinæ. Et in Metaph. sepe scientiam ait esse de ente, quod non synonymum, sed omonymum, hoc est analogum & ad vnum esse voluit. Habent enim hæc quoque rationem vnam communem pluribus; conceptum vnum, saltem confusum, de quo proprietates ostendantur, que singulis proportionem conueniant. Quod in ente perspicuum est. Hac ratione vsus est Philosophus, cum in tex. 2. lib. 4. ens ostendit Metaph. obiectum esse posse; quia etsi synonymiam naturam vnam non significet; significat tamen vnam rationem in omnibus entibus. Immo si vnitas illa ad vnum, quam maximè agnouit in ente, satis est, vt possit esse scientiæ obiectum; multo magis satis erit maior analogiæ vnitas. Quamquam dum proprietatis de analogo demonstrantur, non tam de illo, quam de inferioribus proportionem ostenduntur; totaque de his poris scientia est. Quippe analogum nullam ab illis distinctam naturam, sed illa ipsa simul sumpta significat.

Analogiæ participat Licet & horum vnumquodque iuxta propriam suam rationem, qua communem analogam participat, non solum cognosci, sed definiti. Facile enim est cognoscere cor vitæ principium esse, etsi fontem fluij principium ignores: Quod tum de propria analogia intelligas; Nam si per Metaphoram dicas pratum ridere, neq. intelliges, neque definitis prati risum, nisi humanum cognoueris, vnde metaphora ducitur. Tum verò de pura & sincera. Si enim cum attributione ad alterum permitta fuerit, vt est analogia entis, cum

de Deo & creatis rebus, aut de substantia & accidente dicitur; nequeunt ea, que eiusmodi sunt, perfecte cognosci, nisi accipiatur illud, ad quod dicuntur. Tum demum de analogis materialiter consideratis, vt res quedam sunt; que communem vnam rationem habent. Si enim formaliter accipiuntur, vt analogata sunt & multum similitudinis rationem dicunt, communis est reatorum conditio, vt vnum sine altero nec cognosci possit nec definiti. Communis autem analogo ratio, vt est confusa, ita descriptionem aliquam & explicationem habet; perfectam & distinctam definitionem non habet. Nam si principium dicas esse id, ex quo aliud quoctunque modo oritur, non nisi confuse quid sit expones: nec satis vnam plane dixeris, nisi proprias singulorum rationes acceperis. Ita vniuersum analogum definitionem solam habet & cognitionem confusam; analogata singula claram & distinctam.

Quæ verò ab vno & ad vnum dicuntur, etsi neque in natura vna, neque in rationum similitudine conueniant; conueniunt tamen; in termino diuersarum habitudinum. Aristoteles in 4. 7. & 11. Metaph. exempla proposuit sani & medicinalis. Nam ab animalis sanitate per diuersas ad illam habitudines multa dicuntur sana. Animal, quia est sanitatis subiectum; medicina, quia sanitatem efficit; vrina, quia illius signum; exercitatio, aer, cibus, & similia; quod eam in animali conseruent. Ab arte item modica & per ordinem ad illam, homo, liber, instrumentum, & alia plura vocantur medica; Quare in eo conueniunt omnia, vt ab vno & ad vnum per diuersas ad illud habitudines nominentur. Ac proinde in solo diuersarum habitudinum termino conueniunt, & quo nomen idem accipiunt.

Itaque id, ad quod illa omnia terminantur, necesse est formaliter sit in vno illorum aliquo; in cæteris non item: & illud intrinsece, reliqua extrinsece nominentur. Propterea inter hæc reperitur prius & posterius. Quoniam vnum primò nominatur, reliqua secundariò & per ordinem ad illud. Idque quod primo nominatur, est maxime tale, alia solum per habitudinem quandam. Illud solum absolute tale appellatur, & vox absolute pronuntiata pro illo accipitur: sicut ab Aristotele sepe dicitur, substantiam solam esse ens, accidentia entis entia.

Quamquam sciendum est, accidentia per ordinem ad substantiam dici entia; non plane extrinsece denominatione, vt de sanis dictum est; sed partim extrinsece, partim intrinsece, Sunt enim formaliter entia; nec de illis ita dicitur ens ad vnum, quin per analogiam quoque dicatur. Extrinsece tamen nominantur entia ex ordine ad substantiam velut ad primum & præcipuum ens, ad quod itaquam subiectum & finem referuntur.

Immo in cæteris definiendis primum illud semper adfertur. Quia cum talia sunt per habitudinem ad illud, sine illo habitudines ea explicari nequeunt. Primum autem sine alijs definitur. Quoniam absque ordine ad cætera est se ipso formaliter tale. In conceptibus eodem modo res habet. Quin etiam cum concipitur vniuersa

De his, que ab vno & ad vnum dicuntur.

Accidens quomodo entis entia.

Est quod ad vnum definitur, & cognitio.

Horum
conceptus.

ratio omnibus illis communis ; quia non significat aliquam vnam naturam ; plura quidem concipiuntur ; plures inquam habitudines , vt ad vnam terminum referuntur : Primum tamen ac præcipue concipitur habitudo eius ; quod formam illam habet ; tum habitudines aliorum , quæ ad illam referuntur . Quæ omnia possunt quidem in intellectu vnum habere conceptum ; & confusum ; non distinctum . Vt sanum sit ; quidquid ordinem dicit ad sanitatem . Distinguitur autem confusus hic conceptus ; cum vno conceptu intelligitur animal sanum ; quia sanitatis subiectum , alio vna sana ; quia illius signum ; & ita in cæteris . Hæc enim ipsa non magis ; quam analogæ naturam vnam significant ; aut obiectiuum conceptum communem multis ; sed immediate multa illa ; quæ nomine & habitudinibus ad vnum conueniunt . Quare nec intelliguntur prius ; quam sua inferiora . Quia etsi communem in intellectu conceptum habeant ; is tamen confusus est ; & inferiora omnia continet : seu alius non est conceptus ; quam inferiorum simul indistincte sumptorum .

Scientia
obiectum
esse pos-
sunt.

Qua propter etiam possunt obiectum esse scientiæ ; ita tamen hæc instituetur ; vti fieri possit ; vniuersa eorum ratio & si que sint ; quæ illam sequantur ; primum proponantur ; deinde de primo illo ac præcipuo dicitur : tum diuerse ad illud habitudines explicantur . Maxima verò scientiæ pars ; aut etiam plerumque scientia tota ; in illius primi explicatione consumetur ; aliorum atque adeo rationis vniuersæ ratio & obiter fiet mentio . Quod in Metaphysicis ab Arist. in entis tractatione seruatum est . Ferè enim totus in explicatione fuit substantiæ ; de accidente & ente vniuersè paucissima tradidit .

De purè
omonymi-
is.

Dictum est de synonymis ; analogis ; & ijs quæ ad vnum . Superest de purè Omonymis dicere ; quæ in sola voce consistunt ; non item in re per vocem significata . Voces enim ex nostra impositione signa sunt ; quibus & res indicamus ; & notiones mentis expræmimus . Duabus autem rebus ; duabusque notionibus significandis idem signum ; eandemque vocem imponere facile est . Quare qui voces esse à natura volunt ; Omonymiam omnem negant . Qua de re Platonis Protagoras ; & Simplicius auctor est in Comment. lib. Categoriarum ; Architam ; quod esset Pythagoricus ; & voces crederet esse à natura ; nullam in Categoriarum explicatione Omonymorum fecisse mentionem . Et Pfellus in expositione tex. 13. lib. 1. Phyl. vsque ad Aristotelis ætatem habitam scribit non fuisse Omonymorum notitiam . Platonem aut potius Socratem cepisse primam de illis plura differere . Peripatetici autem cum voces intelligerent ex libera omnibus impositione pendere ; plurimam viderunt in vocibus omonymiam esse posse ; dum vna voce ad res plures significandas vtuntur . Est autem omonymia tota in vocibus . Quoniam cum & mentis notiones & res significentur vocibus hæque tum voce ; tum definitione explicari queant : in rebus per se consideratis nulla esse potest ; quoniam singulæ propriam & cum nulla alia communem naturam habent . Neque in notionibus ; quia vt res aliam atque aliam habent naturam ; ita & in mente notionem propriam . Siquidem obiectiuus quilibet conceptus proprium sibi for-

Omony-
ma ante
Aristote-
le signata.

In rebus
& notio-
nibus
omony-
mia nul-
la.

malem habere potest . Quod si tam multæ sint conceptiones ; quam multæ res ; nulla fuerit in conceptionibus omonymia . Et si tam multæ essent voces ; nec in vocibus foret vlla . Neque demum in definitione aut descriptione . Tum quod cum ea conceptionem aliquam explicent ; si in rebus & conceptionibus non est ; neque in illis fuerit . Tum quod multis ea semper vocibus constant ; in quibus si vel vna fuerit synonymia ; aliarum omonymiam significationem contrahit . Nam si Canem definiens aliqua vtaris voce ; quæ latrabilis solum Cani conueniat ; tota definitio canisque significatio ad hunc & non alium Canem contrahitur . Quare quod ex Aristotelis sententia scribit in 7. lib. Phyl. cap. 7. Theodoros Metochita ; non solum in vocibus ; sed in vocum quoque rationibus ; omonymiam esse ; de analogis accipias ; aut illis ; quæ ab vno & ad vnum dicuntur ; vt exemplo salubris ipsemet exponit . Illis enim vt in re ipsa est omonymia ; ita & in mente vnus est confusus conceptus omonyme communis pluribus . Et delictio etiam respondens communi illi rationi ; quæ est in rebus ; & conceptui ; qui est in mente .

Tota igitur omonymia pura vis in solis verbarum simplicibus vocibus . Atque ex eo nascitur ; quod vna vox pluribus rebus natura ac definitione discrepantibus fuit imposita : cui plures immediate respondent res in nullo profus conuenientes ; quod ea voce significetur . Et ideo ea audita non potest Intellectus vnum aliquem formare conceptum ; neque distinctum ; neque confusum ; sed plures rerum planè diuersarum debet effingere . Ac demum neque communis definitio ; neque cognitio aut scientia vlla de huiusmodi omonymis haberi potest ; sed ab omni profus scientia reijciuntur . Verum de his fortasse nimis multa .

TEXTVS.

Νῦν δὲ ὁρίσθημεν . ἢ τῶν πρὸς τὸ σώματος ἢ τῶν πρὸς τὸ λόγου ἢ τῶν ἀπὸ φυσικοῦ πινέδι ἐξ ἑστῆς ὁρίσει κωννοῦσθαι ; ἢ αὐτῶν .

Nunc autem est securis . Non enim huiusmodi corporis quo d quiderat esse & ratio anima : sed naturalis huiusmodi ; habentis in seipso principium motus & status .

COMMENTARIVS X.

Securis compositum quoddam arte confectum significat ; vt Græci interpretantur ; & ideo forma illius essentialis non est alia ; quam figura illa securis ; qua ad incidendum est apta . Non autem anima . Quoniam anima non est actus huiusmodi corporis ; sed eius ; quod sit naturale ; potestate vitam habens & organicum ; quodque in se ipso principium habeat motus & quietis . Vel enim naturalibus omnibus corporibus principium hoc in est ; vel illi maxime ; quod est subiectum animæ . Siquidem animata manifestum est à se ipsis moueri & quiescere ; & quidem pluribus ac diuersis modis . Hac est horum verborum sententia .

Digesto